QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Iouis 22. Ianuarij.

M. CLAVDIO TARDY, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An morbi omnes à vitiato circulari motu sanguinis?

PARTIVM finis, initium vbique, nullibi, sibi sunt inuicem finis, initium; mutuis egent illæ subsidijs, mutuis certant officijs & qualitatibus vitæ aptis calido, frigido, humido; homo quippe circulus vniuersi modo & dependentia, Tribus constat periodis; extima cerebri totiusque habitus neruosa, frigidissima, similis astrorum viribus; infima iecoris & partium nutritiarum venosa, humidissima, lunæ; media cordis & pulmonis arteriosa, calidissima, solis, calorem continet omnium circuitnum moderatorem. Cor omnium centrum, principium & finis; largitur omnibus vt omnes in ipsum confluunt. Necessarius vniformis spirituum impulsus, confluxus sanguinis, & consensus partium καὶ συνομελίαν, singularumque particularum ad obeundas actiones, quarum varietatis vnicum principium structura, & calor vnus opifex, spiritus & sanguis hunc inuehunt ope circulationis; nam facultas animalis in somno feriatur, quia sanguis & spiritus ab externo circuitu feruntur ad intima corporis & ad magnum principium, vbi solas nutritionis & vitæ functiones exercent; viceque versa mittuntur ad organa motus & sensus, viget animalis facultas & externi circuitus partium nutritio vberior. Exquisitissimam naturæ materiam perficiunt crebræ vices anni tempestatum, mensium, dierum, otij, negotij, vigiliæ, somni, animique pathematum; breuissima sanguinis in orbe corporis agitatio largitur earum vires, hepar humiditatem veris, cerebrum frigus hyemale, Cor insitus homini sol, æstatem parit autumni nesciam. Sanguis in habitu refrigeratus & in pituitam conuersus refluit ad medium circuitum mitigaturus ardorem cordis, moxque æstuans refunditur ad externū circuitum, vbi vitæ functiones omnes exercet: Ita sanguis assiduo motu liquatus vindicatur à putredine & crudore, partiumque temperamentis, & functionibus dissimillimis pervtilis est, nunc incalescens, nunc refrigeratus. Non vigent reciproci motus, abolentur actiones, concrescit sanguis & membra stupent. Circulatio motuum perfectissimus, aliorum finis & opifex eos omnes habet asseclas, & sanguini præripit occasionem

putredinis summa cõmutationum crebritate. Singuli circuitus semiignei, semiaquei, aqua igni alimentum, cuius assidua necessitas, assidua commutatio, aquæ in ignem, ignis in aquam, reactione mutua, & locorum diuersitate varias induunt qualitates; has amittunt in corde nouas assumunt, & ex omnibus vnitis exquisita permixtione fit sanguis. Quæ sunt in motu facilius alliciuntur, expelluntur, sic alimentum circulari motu distribuitur, ejicitur excrementum facilius quam si manent immota; aquæ fluentes & puræ felicius alunt plantas, animalia. Ita perennis agitatio sanguinis in orbe corporis humani vna omnium functionum & sanitatis est opifex.

SANITATEM euertunt tot genera morborum quot αἵματος φορᾶς vitia, hæc autem sunt quatuor interceptio, imminutio, deprauatio, & præcipitatio. Intercipiunt & imminuunt circularem motũ sanguinis plethora, crassities, corporis ac viscerum frigiditas, venarum angustia, imbecillitas. Præcipitem efficiunt eiusdem penuria, subtilitas, corporis ac viscerum calor, vasorum amplitudo. Deprauant motum sanguinis eiusdem subtilitas, humorum quibus constat impermixtio, viscerum inæqualis intemperies. Interceptio venarum insignium dicitur obstructio, exilium constipatio, vnde morborum ilias, hinc febres omnes essentiales, intermittentes, assiduæ, symptomaticæ quas inflammationes inducunt, nam tumores omnes fiunt constipatione, vel imbecillitate venularum quæ non excipiunt, nec reuehunt ad cor humorum copiam quam arteriæ assiduo fundunt. Tromata lædunt actiones & inferunt necem profuso sanguine, aut inducta phlegmone. Hinc morbi capitis, aliarumque omnium partium. Sanguis plethoram particularem facit opificem torporis, & lædit propriam functionem partis in qua sistitur; sic ambulatio læditur, & oritur torpor in tibijs & pedibus ex diuturna sessione quæ venas cõprimit & sistit sanguinem remeantem. Ita sanguis vberior per arterias insinuatus in cerebri sinus & venas ex illis prodeuntes nec inde refluens, torporem parit in vniuerso corpore, & ratione copiæ, qualitatis & variarum cerebri partium quas inuadit, nunc omnes, nunc aliquas illius actiones offendit; hinc cerebrum laborantium affectibus cataphoricis & paraphoricis circumjectarum & tumefactarum venarũ mole opprimitur, vt ægre dilatetur & contrahatur; qui vni ex illis affectibus obnoxij sunt, alijs fiunt opportuni, vel minimum mutato sanguinis impulsu penes locum. Ita melancholici plerumque fiunt epileptici & tandem aliquando apoplectici, epileptici reciproca commutatione fiunt melancholici, alteruter morbus excitatur provt humor atrabilarius in alterutram cerebri partem decumbit. Interceptionem pessimum circulationis vitium comitatur aliud, quod est eiusdem motus omniumque functionum deprauatio. Sic intercepta muliebria refluunt ad præcordia & ratione copiæ, qualitatis, & locorum quos impetunt plurimas, aut omnes actiones lædunt. Sic vterus crurales venas comprimens intercipit motum sanguinis, hinc extremorum frigus ac torpor, palpitatio cordis, epilepsia & delirium; vteri repositio, & inguinum fotus ex aqua frigida commeatum sanguinis, & integritatem functionum restituunt. Obstructio majorum venarum nulla sanabilis, laborant tamen imbecillitate & illuuiei decubitu à visceribus

morbosis, vnde concretus sanguis cietur incerto motu dolorem pariens vbi subsistit. Sic ischias, typhus, & nephritidis consectaria symptomata. Vt medicus dilatat venas, easdem angustat occurrens morbis ex adaucto motu sanguinis: sic vterini fluoris excessum sistit injectis vinculis laneis, crassis, & mollibus paulo supra genua & cubitos, vt venæ comprimantur & euacuatio sanguinis compescatur. Circuitus externus & infimus vitijs omnibus circulationis patent, interceptioni maxime, adauctioni medius. Vitia circulationis morbos omnes pariunt, vicissim morbi vitiant circulationem, & mutuo conspirant in ægri perniciem.

EXTERNA & maxima periodus amplectitur caput, artus omnes, & partes continentes pectoris & abdominis, sedem, vesicam & pudenda; redundantiæ & illuuiei alienæ obnoxia & propriæ, nunquam morborum expers, saltem cutaneorum, dum venæ debiles & angustæ non reuehunt, imo respuunt cacochymiam quam arteriæ assiduo fundunt; frigus ambientis auget structuræ & caloris defectum, hinc pustulis & tumoribus innumeris inquinatur. Hyems constringit venas, sanguinem sistit, coagulat, vnde tumor extremorum, liuiditas & torpor, aqua tepens dissoluit. Inflammationes omnes externæ, internæ, Pleuritis, Phrenitis & similes, dum sanguis vberior effusus ex arterijs in partium meatus & collectus purret ac inducit phlegmonem, quæ tumor dolorificus, ruber & pulsatorius ex arteriarum compressione; sequuntur abscessus, gangræna & scirrhus, Plethoram venæ reuehunt, ni propria vetet plenitudo: cõuenit omnibus epaphæresis, internis vigilia, somnus externis. Quædam febres oriuntur ex vniuersi corporis inflammatione, qua tumefactæ carnes venas comprimunt ac sistunt sanguinem, ita vt non refrigeretur ejectis noxijs, non flabelletur motu perenni nec frigidi aëris attractione. Phlegmoni testium propter anastomoses & facilitatem refluxus sola repellentia, etiam in declinatione. Vasorum tenuitas, articulis innatum & externum frigus incrassant & intercipiunt motum sanguinis, vnde arthritis & podagra, sola paregorica mixtis initio repellentibus. Angina fit vere aut hyeme humoris pituitosi lenrique decubitu è capite in juguli venas, vbi sanguinem sistit, coagulat, & obturat meatus sanguinis & aëris, intrusus impetu in ranulares venas & in linguam fluxioni excipiendæ obnoxiã insita raritate & siccitate. Phlegma recens è cibis quotidianis, fluit & refluit à capite in aluum. Vulgare vagatur in maioribus venis nec hæret vlli certæ parti. Phlegma vetus album dicitur & ab exilibus effusum venis habitum corporis vniuersi tumefacit. Tres illæ pituitæ species segnitiem inducunt imminuto motu sanguinis & lædunt actiones. Tumor vniuersalis ex viscerum κακοπραγία aut capitis hydrops: Caput incalescens hyeme trahit vehementius, tractos humores nequit excoquere, nequidem continere, sed inquinatos refundit in posticas partes & venas quæ decliues & amplæ, vnde nutritionis deprauatio inanitates omnes infarciens; immobilitas & putredo, vbi non est locus in quo motus & flabellatio; trahunt partes, vt fruantur, at illuuiei quis fructus; actiones à spiritibus, at inania partium dicata spiritibus, ichoribus replentur: instaurandus sanguinis commeatus crebro

catharsi, venæ sectione, exercitio quæ pariunt εὐρυχωρίαν. Bilis fastidio est nec vnquam refluit, nisi superstes intus erysipelas, febris & inanitas hanc reuocent ægri damno. Non exhaurienda plenitudo, ne celeritate παλινδρομῆς incandescat bilis & excurrat sursum; sera & consulta epicrasis.

IN quamcumque partem alimentum vberius influit in ea morbum parit, maximè si vitiosum, ita quatuor apoplexiæ species, causis, accidentibus & curatione distinctæ. Apoplexia sanguinea fit interceptis iuguli venis à plenitudine, quæ sanguinem ad cor remeantem sistit & collecta cerebrum premit eique immobilitatẽ inducit, vt ἔσφλασις, concussio magna aut imperitus chirurgus in perforatione cranii, vnde functiones omnes animales concidunt. Hæc apoplexia nullo dolore prænunciata, sed grauitate capitis & propensione in somnum eget epaphæresi sola, quæ cerebri sinus & venas omnes exhauriens illud onere subleuat, & viarum libertate restituta facultatem animalem instaurat. Capitis dolor vellicans & mentis perturbatio præcedunt apoplexiam ex atra bile, indicant prærubra facies, inconniuens aspectus, & vniuersi corporis conuulsio; sanat higemonicum è venis cubiti, linguæ & iuguli, post fotum qui concretum sanguinem liquat & educit è cerebri venis & sinubus, emetocathartica & deinde eccoprotica lenientia, lac asininum. Epilepsia differt sola magnitudine ab hac apoplexia, & in eam degenerat atræ bilis incrassatione, & augmento. Dolor frontis & oculorum caligo prænuntiant apoplexiam à pituita, quæ summo frigore spiritus extinguit, sanguinem coagulat, iuguli venas obstruit, & premit cerebrum. Hæc apoplexia curatur venæ sectione, cholagogis, emeticis, errhinis vehementibus virtute & actu calidis. Quarta species apoplexiæ fit à flatibus cerebrum comprimentibus, dum venas & sinus illius inuadunt, denuntiatur oscitationis assiduitate & celeritate solutionis. Spiritus functionum omnium opifices, at ψευδοπνεύματα quæ nutritiæ partes emittunt vberrima eas omnes viriant, extinctione spirituum, inquinatione & humorum ac plexus choroidis insolente impulsu, hinc deliria, conuulsiones, & motus epileptici, nam permixtis flatibus corrumpitur motus sanguinis, subsistit in aliquibus venis, in aliis pigrè procedit, celerius alias peruadit; hæc agitationis inæqualitas confusas facit sensationes & motus, quia confusa corporis agitatio fit à confusa cogitatione. Hæc epilepsia sedatur commotione corporis & calore externo, cuius ope liquatur sanguis & flatus soluuntur: Qui etiam excitant vertiginem, cuius altera causa mediocris vasorum cerebri plenitudo compressionem fugacem inducens; in apoplexiam degenerat augmento plenitudinis. Iidem flatus torporem pariunt in carnibus, stoliditatem & dyspnœam compresso diaphragmate. Cerebrum τῶν ψυχικῶν καὶ τῆς κινήσεως μητρόπολις & auctor externi circuitus omnis vtpote ossei, neruosi, membranosi, partium tribulium qualitates fouet & instaurat; Hæ inuicem compatiuntur, nunc alicuius materiæ transfusione, nunc propagatione solius qualitatis, sic ex algore pedum capitis crudor, homogeneis tentantur morbis, vt viribus iisdem pollent. Cerebri noxis ὁμομελία compatitur, gentilitiæ partes maxime, sin minus clades imminet; frigus hostile pectori, cerebro, neruis, medullæ

ſpinali, membranis, oſſibus; eſt cauſa conuulſionis, tetani. Frigus, horror & tremor fiunt humoris frigidiſſimi permixtione cum ſanguine, aut eiuſdem è capite in ſubiectas partes impluuio; & humoris acerrimi excurſu è vaſis, è viſceribus & vomica in externum circuitum, vbi ſpiritus extinguit, ſanguinem ſiſtit & in exiliorem molem cogit, vnde venarum & partium contractio: ſerum natura frigidum & acre tenuitate expreſſum pungit neruos & inducit tremorem; hinc quoque ſanguinis & ſpirituum retractio ad viſcera.

MEDIA periodus minima, validiſſima morbis alienis, raro propriis laborat, æſtu à naturâ, ſæpe tamen alieno, impedita refrigeratione & igneæ materiæ influxu, ex tranſitu quippe bilis vtriuſque & phlegmatis, ſanguinis inflammati, ſpirituum accenſorum fuliginoſique recrementi febres omnes; ſymptomaticas inducunt inflammationes ſyſtrophicæ, ſimplices. Eſſentiales aſſiduas, ſynochos, quotidianas, tertianas, quartanas, ardentes, colliquantes, ſyncopticas, horrificas, purpuratas, peſtilentes infert humorum & ſpirituum, cùm in maioribus, tùm in minoribus venis putrentium copia & infenſæ qualitates; febres intermittentes excitantur è varijs focis & venis minoribus. Sic adaucto aut deprauato circulari motu ſanguinis inquinati, corrupti, igniti nobiliſſimum viſcus æſtuat & eumdem refundit vniuerſo corpori, vnde febris omniumque functionum deprauatio, propter αὐθείαν opificis & impulſus inſolentiam. Hinc palpitatio cordis & arteriarum quæ aliquando ab humore lento, glutinoſo ſolis triſulcis valuulis hærente, vnde variæ generationes: aliquando à ſanguine concreto in venis, nunquam in auriculis cordis, non in ventriculis nec in arteriis, vbi grammoſus plerumque diſſoluitur. Ignis aſſiduo dilatatur rarefactione & expulſione fuliginum, contrahitur alimenti reactione & frigidi occurſu: ignis inſiti eædem ſunt in corde vices, aſſiduo dilatatur æſtu ſanguinis & ſubita rarefactione, contrahitur appulſu frigidi chyli, pituitæ, ſanguinis, aëris, his orbatus marceſcit humoris primigenii ſubita conſumptione, vberioris alimenti mole & vehementia frigoris extinguitur. Cor vniuerſi corporis focus ardet indeſinenti flamma quæ deurit vehementius quo ſanguis calidior; vna ſalus refrigerium cuius cauſa circuitus omnes, vtiliſſimum pulmo continet, ipſe natura frigidus impenſius refrigeratur attracto aëre, potu, humiditatis è capite impluuio; ſi quid horum deficiat aut excedat, vitiatur circulatio, vnde morbi pulmonis omnes. Periodus infima raro quidem alienis, at propriis vitiis laborat ſæpiſſime, quę propagantur in alias periodos, vbi ſympathica aliquando fiunt idiopathica. Indigena bilis vniuerſum corpus affligit, maxime cerebrum & ſenſoria: in his tamen eſt author morborum ſanabilium propter facilitatem refluendi, ſecedendi meatu naturæ familiari longeque à parte affecta. Sic in febre ſurditas, aluum ſiſtit, tum ſurditas bilioſorum deiectione definit. Salutaris eſt oculorum inflammationi diarrhœa. Aluus prorupta tempore critico, bile vitellina iuuat comatoſos, obſurdeſcentes. Circuitus hic conſtat vaſis exilibus innumeris, loca frigida, imbecillia, illuuies intus, exterius tumefaciens lienem, pancreas, meſenterium in quibus obſtructiones frequentiſſimæ; ſic in mœrore diuturno pylorus & vaſa ſplonica ſtringuntur à turgido pancreate, vnde

periodus intercipitur, ψευδοπνευμάτων vbertas & omnium functionum deprauatio. Venerea lues hinc capiti eiusque familiæ sympathica fit idiopathica. Hepar ἰκμάλεον, humoris iucundissimi principium assiduis pene obstructionibus laborat.

Ergo morbi omnes à vitiato circulari motu sanguinis.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Fr. de la Chambre, Med. Reg. Ord. — *M. Claudius Quartier.*
M. Alanus Lami. — *M. Franciscus Landrieu.*
M. Nicolaus le Lettier. — *M. Antonius de Sartes.*
M. Michaël Mares.
M. Martinus AKaKias.
M. Nicolaus Capon.

Proponebat Lutetiæ

PETRVS POVRRET, Baudoniensis, Baccalaureus, etsi Doctor Monspeliensis eruditissimus.

A. R. S. H. M. DC. LX.



ALIÆ RATIONES QVIBVS programma superius concluditur.

SAtis superque demonstratum, libro de circulatione sanguinis & spirituum proprio, genuinos spiritus & probum sanguinem circulari motu distributos vniuerso corpori per arterias, actiones omnes edere. Vnde etiam constare puto, eosdem spiritus inquinatos corruptumque sanguinem motu à naturæ legibus alieno communicatos, omnium partium functiones corrumpere, & ratione structuræ varietatis diuersos quoque morbos & symptomata inducere. Vt enim naturalis & probe constituta circulatio sangui-

303

nis eſt cauſa ſanitatis omniumque functionum, ita neceſſario ſequitur eumdem motum naturali contrarium ſanitatem evertere, & lædere functiones ijſdem modis & in ijſdem partibus vbi vitiatur circulatio, contrariorum enim contrarii ſunt effectus. Nec ſpectamus meram motus entitatem quæ tenuiſſima, ſed & ſpiritus ipſumque ſanguinem qui ſinguli ſeorſim morbos omnes inducunt, ipſamque lædunt circulationem; nec enim fieri poteſt vt corrupti ſpiritus & ſanguis naturæ familiari motu cieantur.

Circulatio mere ſpectata tenuiſſimæ licet entitatis, poteſt ipſa per ſe morbos omnes invehere, cum enim ſimplex & vniformis eſſe debeat omnium ſpirituum impulſus, omneſque humores exquiſite permixti, ſimul & ſemel, vno eodemque motu fluere debeant & refluere ex arteriis in venas, & vice verſa è venis in arterias, experientia conſtat ſpiritus & ſanguinem etiam laudabiles & puriſſimos à cauſis externis agitatos inſueta ratione & à naturæ legibus aliena, functiones omnes illicò vitiare. Si enim rerum vniuerſitas ſubſiſtit ope modorum quorumdam adeo exilium, vt eorum exiſtentia dubia ſit; mirum non eſt microcoſmum momentis quoque ſimilibus & tenuiſſimis entitatibus conſtare eorumque læſione vel minima corrumpi. Quamobrem circulatio ſanguinis & ſpirituum, quamquam tenuiſſima, morbos omnes inducit; id autem factum conſilio numinis, vt dependentiæ cogitatio mentibus noſtris ſemper obuerſetur, & propriæ tenuitatis conſcii comprehendamus nos exili filo dependere.

Nec audiendi qui de circulationis natura dubitant, quia fit in occulto, cum aliquando non defuerint viri adeo contumaces, vt ſolis & vniuerſi motum ipſamque naturam denegauerint. Abſurdum vero eſt exiſtimare morbos omnes induci ſolo motu qui fit in quantitate ſanguinis, vel in eius qualitatibus alteratiuis, non autem locali motu ſanguinis & ſpirituum, cum ſolus hic motus perennis eſſe poſſit & aſſiduo ad vnum idemque magnum principium recurrens, alios omnes eorumque vires contineat.

Quadripartita diuiſio morborum ſuperius allata non eſt eſſentialis nec abſoluta, ſed reſpectiua fitque ratione quatuor vitiorum circulationis, quæ non modo ſunt omniũ morborũ ſymptomata, ſed etiam cauſæ antecedentes aut conjunctæ. Quare ſi ſummus dictator Hippocrates initio l. de morbis & de affectionibus, docet pituitam & bilem eſſe omnium morborum cauſas, quia bilis & phlegma

304

quatuor qualitates primas cōtinent, vnde omnia temperamēti vitia, præterea que duo illi humores morbis omnibus curatu difficilibus materiam suggerunt. Potiori iure circulatio sanguinis & spirituum, quæ plures morborum causas, ipsamque bilem & pituitam complectitur, omnium morborum causa dici debet, quippe quæ naturaliter constituta sanitatis est opifex, eadem vitiata & recedens à constitutione naturali fit omnium morborum procreatrix. Idem Hippocrates passim & potissimum l. de locis in hom. deducit venas omnes ab extremis partibus & à capite, ad intima corporis & ad venam cauam, seruata fibrarum & impulsus rectitudine, ibique circulationem sanguinis & anastomoses arteriarum cum venis exacte describit.

F. 64 v. 17 & seq.

Vitia circulationis, vt animæ, sola lethalia sunt, ipsaque tromata nunquam necant, nisi hæc superuenerint; externæ causæ perimunt ope internarum, quæ in proprijs laribus inferunt vim naturæ: Morbi conformationis prodeunt à vitiato motu materiæ seminalis & spirituum quibus perfunditur, hi vero sunt organa generantis ad hominis opificium, vnde facultas formatrix ipsis insidens aberrat à scopo. Morum vitia virtuti & vitijs contraria sunt, ita vitia circulationis sibi inuicem contraria sunt & motui sanguinis naturæ congruo. Causæ morbificæ sanitati & sibi inuicem contrariæ sunt, vbi pradominatur bilis optatur pituitæ generatio, & bilis vbi pituita, sic ira lethargum sanat.

L. de Corde f. 56. v. 15. & seq.

Sanguis materia frigidus & aqueus concrescit mora & frigore, liquatur à calore & motu quibus fibræ dissoluuntur, ipsæ quippe sunt naturæ gluten & vinculum quo sanguinis moles exquisite coalescit, etsi constet quatuor humoribus plane contrarijs. Sanguinis itaque fibræ glutinosæ, frigidæ & aqueæ propriam naturam non amittunt coctione cum cæteris humoribus; sed à visceribus accipiunt ruborem & fluiditatem, eamque seruant assiduo transitu per partes quæ perficiendo sanguini dicatæ. Alimenti perfectio liquari facile, concrescere; sanguis, vt partium neruosarum & plantarum mucilaginosarum decocta, concrescit frigore, liquatur calore blando, diuturno & vehementi exuritur, exsiccatur: Ossa bregmatis membranosa nascentibus, sensim concrescunt, exsiccantur; alia subito fiunt vstione pinguedinis ex parte seminis frigida & glutinosa.

L. de principijs f. 41. v. 12. & seq

cette [illegible] se trouve tome VII [illegible] in folio [illegible] 1109, mis dans les additions.